


## EMBLEMA L.

## ADULATORES FUGIENDI



*Impiger ætherea Cervus fugit ocyor aura,  
Ocyor atque Noto, Turturis ala secat.  
At capitur Cervus, capitur quoque ab aucupe Turtur,  
Dulcisonos capiens stultus uterque dolos.  
Te capit, ô Princeps, Te fascinat improbos ille,  
Blanditiis pleno gutture dulce sonans.*

## COMMENTARIUS.

**Q**ui veritatem adēd cupiendam, atque amandam Principibus dixi, satis simul dixisse videri potero, quo studio Adulationem, ei omnīd contraria, fugere debeat, & tam in suis Consiliariis, quām in ceteris Aulicis, insectari. Ceterū quoniam hēc lues in eorum præcordia frequenter obrepit, & fallaci laude seducit, arbitror è re esse, si ex multis que de ejus cautione, & de testatione à multis passim tradita sunt, aliqua subtexuerim, quibus longè procul à suis Palatis eliminandam suadeam, ubi magis quām alibi commorari, vel ipsum ipsius nomen ostendit, quōd secundūm aliquos (a), non tam ab *Adulando*, quām ab *Adulando* sumptum videtur, quōd in Aulis perversum hoc assentationis, & lenocinationis vitium exerceri, ac dominari potissimē soleat, & nocentiores effectus producere.

**2** Unde illud Alciati (b):

*Regia quem morem Principis omnis habet.*

Et quod in Proverbii Salomon (c) dixit: *Stellio nititur manibus, & moratur in domibus Regum.*

Quo

(a) Plutarc. de dignit. adulat. Senec. lib. 8. epist. 3. cap. 2. & alii passim.  
Robert. serm. 12. Sarisb. in Pollicrat. lib. 3. Brusson. lib. 5. cap. 9. Theat. verb. Adulatio, Filescat. ds. idol. polit. (b) Alciat. Emblem. 35. (c) Proverb. 30. 28.

## Adulatores Principibus fugiendi, &amp; fugandi.

Quo symbolo, ut post Expositores ibidem, Noster Saavedra Fajardus (d) observat, Adulatores exprimere voluit, qui huic animali similes sunt, (de cuius natura multa Aristoteles (e), & Plinius (f) scribunt) circa aularam quippè fores, & forium cardines versari consuevit, coloreisque & pellem facile mutat, variisque aliis dolis technisque utitur, quæ Jurisconsultis (g) causam derunt, ut dolosum fraudatoriumque omne crimen, quod proprium nomen non haberet, stellionatum appellarent.

3 Idem quoque de eisdem Adulatoribus Tacitus (h) sentit, dum inquit: *Iis omnia Principum honesta, atque in honesta laudare, moris esse, cumque ipsorum potius fortuna, quam cum ipsis loqui, ita compositos, ut ex eventu rerum adversa abnuant, vel prospera agnoscant, veri non faciant, seu suspensa, & quod ducentur inclinatura, respondeant.* Et ut Sejanus (i) faciebat: *Spes ac vota sua, non prius ad Deos, quam ad Principum aures se se conferre testentur.*

4 Plinius Junior (k) dum aureum sub suo Trajano seculum, cum superioribus comparans, ita inquit: *Jam etiam, & in privatorum animis exoleverat priscum mortalium bonum Amicitia. Cujus in locum migraverant assentationes, blanditiae, & pejor odio amoris simulatio. Etenim in Principum domo nomen tantum amicitia inane irrisuque manebat.*

5 Et Q. Curtius (l) eos Perpetuum Regum malum appellans, quorum opes saepius assentatio, quam hostis exerit. Velejus Paterculus (m) inquiens: *Semper magna fortunæ comes est adulatio.* Nicetas, (n) quōd *Aulæ in pernicem suam alunt; laudatores malorum, bonorum justitiam simulantes.* Constantinus Imperator, qui, Aurelio Victore (o), & Nicephoro Callixto (p) testantibus: *Spadonum, atque assentatorum in Principum aulis tantus erat hostis, ut eos tineas, atque sorices Palatii appellare crebrò solitus esset.* Et Rex Aragonum Alfonsus I. qui ut refert Panormitanus (q): *Adulatores Pestem Principum consuevit, & variis interdum penit, & cruciatibus affecti.* Et ceteris adhuc melius Polybius (r), sic inquiens: *Novus quippe modus calumniae inventus est, non vituperando, sed laudando, fame ac commodis hominum insidiari.* Quod vitium in aulis Principum ortus, usque adēd inolevit, ut ea loca, tamquam proprias quasdam sedes, sibi videatur elegisse. Et Petrus Blesensis (s) dum ait: *Illi soli ad Magnatum gratiam admittuntur, qui palpant blanditiis, & aures famæ bibulas calice Babyloniae inebriant. Ampliant eos beneficiis quos torquere debuerant, & à presumptione adulandi supplicis deterrente.*

7 A quibus non dissentient Themistius, ut idem Nicephorus (t) narrat, cum videret Joviani Romanorum Imperatoris Aulam assentatoribus refertam esse, perfactè atque luculenter illos irridens: *Ex moribus deprebendi (ait) purpuram ipsos magis quam Deum colore: nec aliqua re ab Europa differre, nunc buc, nunc illuc, atque in contrarium adēd momentum reflente.*

8 Quod dictum Socrates (u), Imperatori Juliani tribuisse comperitur. Etcum eo convenit aliud Regis Alfonsi Aragonii apud Panormitanum (x), qui interrogatus, quos sibi fidos Consiliarios putaret, eos respondit: *Qui non ipsum magis, quam Deum timerent.*

9 Multus quoque, & satis elegans in describendis palponum simulationibus, & adulacionibus est Juvenalis (y) per integrum satyram, præcipue dum inquit:

*Quid quod adulandi gens peritissima laudat  
Sermonem indocti, faciem deformis amici;  
Nocte dieque potest alienum sunere vultum,  
Concutitur, flet, si lachrymas conspexit amici,  
Si dixerit astuo, sudat.*

10 De quorum etiam ridiculis hac de causa figmentis, & commentis, plurima, satis Leñtori jucunda, congesit Athæneus (z) infinitæ lectionis scriptor. Sed omnes excessit perfidus ille Ecbolius Sophista, qui, ut Socrates (a) narrat, regnante Constantino, ut gravior esset Imperatori, jungi voluit, inserique commercio Christianorum. Postea regnante Juliano Apostata, aplausit hujus impietati, rursusque palam hostis factus Christianorum, adjuvit saevitiam adversus eos. Sequitur Jovianus, hunc ut placaret iratum, reddit ad Christians, Religionum speciem semper ad tempora & dominos accommodans.

11 Et propter gravia damna, quæ ex ejusmodi adulacionibus oriuntur, merito Ovidius

(d) Saaved. Empres. 48. ex pag. 322. quem etiam vide pag. 306.

(e) Aristot. de hist. anim.

(f) Plin. lib. 30. cap. 10.

(g) L. 4. & per tot. D. & C. de crim. stellionat.

(h) Tacit. 2. & 11. annal. & hist. 2. & 3.

(i) Idem Tacit. 4. ann.

(k) Plin. Jun. in Paneg.

(l) Q. Curt. lib. 8.

(m) Paterc. lib. 2.

(n) Nicet. in Andron. lib. 7.

(o) Aurel. Vict. in Constant.

(p) Niceph. in hist. Eccles. lib. 8. cap. 5.

(q) Panorm. de dict. & saef. Alfons. I. lib. 1.

(r) Polyb. in suis hist.

(s) Blesens. epist. 77.

(t) Niceph. lib. 10. cap. 42.

(u) Socrat. in hist. Eccles. lib. 3. cap. 21.

(x) Panorm. de dict. Alfons. lib. 2.

(y) Juven. satyr. 3.

(z) Athen. lib. 6.

(a) Socrat. lib. 3. hist. Eccles. cap. 11.

dius (b) dicere potuit:

*Impia sub dulci melle venena latent.*

Seneca (c): *Habet suum venenum blanda oratio.* Salomon (d): *Meliora sunt amici verbera, quām inimici blandimenta; melliora sunt vulnera diligentis, quām fraudulentia oscula blandientis.* Isaias (e): *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressum tuorum dissipant.* Ecclesiasticus (f): *Melius est à sapiente corripi, quām stultorum adulatioibus decipi.*

12 Eoque progradientur D. Hieronymus (g), ut esse hostes, & scintillas diaboli dicat: & plus nocere linguam adulatoris, quām gladium prosequitoris. Quos Anaxilas apud Athenaeum, & alios (h), *Vermes dīvītū appellare solebat, Diogenes Cynicus, sive ut alii (i) malunt, Antistenes, corvus, & corvis pejores, quoniam hi morticinia tantum modò consequuntur, illi. etiam num vivos bonosque laniati pestifero excarnificare non desinunt. Bion quoque, apud Laēritium (k), & Plutarchum (l), interrogatus, quod esset animal omnium maximè noxiū? Si deforis (inquit) percontaris, Tyrannus, si de mitibus, aut cicubibus, Adulator.*

Hucque respiciens Jacobus Billius (m), sic habet:

*Non inter cibos palpore nocentior ulla est  
Bellua: nec qua plus gignat in orbe mali.  
Vix enim est ullus, cui non per verba propinet,  
Quae magis sunt ipso dulcia melle, necem.  
Ac licet extincto corvus se corpore pascat,  
Corporibus vīcis abstinet ille tamen.  
Sævior at contra palpo, nec parcit ademptis:  
Ac vivos blandis morsibus usque petet.*

Cujus similitudinis vis gravior, certiorque reddetur, si animadvertiscas, apud Græcos valde quoque corvorum, & adulatorum nomen simile esse, cum ille *Corax* iste *Colax* vocetur.

13 Suni etiam qui Canibus, Scorpionibus, Apibus, Harpiis, Hyenis, Lupis, Lolligini pisci, & aliis animalibus sat appositè eosdem adulatores similes faciant, & apotissimè Auctor Anthologie messoribus comparat, qui aristas, quas una manu cordi, ac pectori applicare videtur; altera, admota falce, succidunt.

14 Noster autem Alciatus (n), qui ceteris Emblematariis palmam præteripuisse videtur, sub Chamæleontis illos figura depingit, de cuius natura latè Plinius (o) scribit, & similes in utriusque mores his carminibus exprimit,

*Semper hiat, semper tenuem, qua vescitur, auram  
Reciprocat Chamæleon:  
Et mutat faciem, varios sumitque colores,  
Præter rubrum, vel candidum:  
Sic & adulator populari vescitur aura,  
Hiansque cuncta devorat;  
Et solùm mores imitatur Principis atros,  
Albi, & pudici nescius.*

15 Ad quam similitudinem Polypus quoque pertinere videtur, qui, ut Plinius (p), & alii (q) scribunt, presequentibus piscatoribus se se petris affigit, & cuicunque petra adhaeserit, ejus colorem corpore imitatur, ne deprehendi queat, & quem demergere parat, amplectitur: unde adulatores, & homines sua natura versatiles, qui juxta illud Pindari:

*Proque loco nunc hunc fieri, nunc expedit illum.*

Polypos appellari, & Polypi mentem obtinere dici, pluribus, in his Adagiis, Erasmus (r) confirmat, qui allegare potuit Philem, Græcum Poëtam non extremi nominis, à Joanne Filescaco (s) relatum, qui Tharandrum, Scythiae feram, in colores mille pilos suos convertere, tradit, prout & Aulicos, de quibus loquuntur, dum rem suam facere cupiunt, præstare videbamus.

(b) Ovid. 2. Trist.

(c) Senec. in proverb.

(d) Proverb. cap. 27. v. 6.

(e) Isaï. 3. 12.

(f) Eccles. 7. 6.

(g) Divus Hieronymus Proverbior. i. & supra Psalmus.

(h) Athenæ. Theop. & alii apud Rhodig. lib. 20. cap.

(i) Laert. lib. 5. cap. 1. Brusson. lib. 1. cap. 7.

Quos

(k) Idem Laert. lib. 1. cap. 6.

(l) Plutarc. in Apoph.

(m) Billius in Anthol. sacra.

(n) Alciat. Emb. 53.

(o) Plin. lib. 8. cap. 33.

(p) Plin. lib. 9. cap. 29.

(q) Lucian. in term. Menal. & Protei.

(r) Erasm. in Adag. pag. 81. & pag. 344.

(s) Filescacus 2. selectar. tractat. 1. capit. 6. pag. 35.

16 Quos etiam pulchre Plutarchus (t) simia comparavit; hac enim cum nesciat domum tueri, ut canis: arare, t. bos: onera deferre, ut asinus: omnium tamen actiones imitatur, ut recreet. Sic adulator, cum in rebus seriis nesciat esse usui, voluptatum minister est. Qua comparatione prius usus sit Aristophanes (u), simias vocans eos, qui plebi assentantur, & obsecundant, & Græco vbo idem significare, *Simiari*, quod *Fallere* indicans.

17 Hincque item Hadrianus Junius (x), ostendere volens, adulatores Reipublicæ graves, & ab ea puniendos expeñdosque esse, leonem pingit, simiam unguibus dissecentem, his subjectis carminibus:

*Uleo, quem cæci vis lancinat effera morbi,  
Sentit opem, si simium edat, citam:  
Pilonem, & dirum sycophantam, quæ ejicit aula,  
Rex, viru Regnum vacat gravi.*

Quod etiam Joachimus Camerarius (y) brevius hoc Disticho clausit:

*Ipsu est morbi Medicus leo. Vos quoque Reges,  
Assentatores pellite sponte malos.*

18 Est quippe à Plin. Aeliano, & aliis Auctoriis (z) proditum, leonibus, quartana, ut solent, febri egrotantibus, nullum potentius praesentiusque remedium esse, quām si simiis vescantur, & earum se sagine prolunt. Unde dicti Auctores ap̄ deducunt, Principes, ad leonis imitationem, à mortis, quos in eorum Palatiis impostores, assentatores, & parasiti caussare solent, dum semper d. gratiam loquuntur, eorum auribus insidiantur, nullo melius modo sanari posse, quām sitales pestes aulis exturbent, & ut alter Augias, stabulum repurgent, & cum Hercule, ac Conantino, *borum Monstrorum domitores* dici mereantur.

19 Marcus Zuerius (a) Boxhornius novissime, ut Aulam videamus, Sphingem triforme monstrum, in altero Emblematis, *Et unus, & omnia.* Sic insinuans, in Principum aulis, homines esse, qui ad omnia se coponunt, & instar Protei, se in eas omnes formas mutant, quas sibi expedire cognoscunt. Qod invenio etiam apud Justum Reichenbergium (b), cum hoc Disticho:

*Morrion horrendum, informe, ingens, sed fronte coruscum,  
Sphinx, aule semper desidet ante fores.*

20 Antonius à Burgudia (c) aliud excogitavit; de Nympha Echo, ad voces hominis respondentem, & hæc carmina subdit,

*Quis adulatrix, in tecum sentiat Echo?  
Crede: Dee jurat in tua verba labor.  
D. Plaudo, hac Laudo, dic Abborreo, & Horreo reddet  
Mima. Stupes? Omnis hoc parasitus habet.*

21 Idem quoque Aucto (d), Alciati vestigiis insistens, sub pictura Chamæontis, sic habet

*Fec fera, candoris que nescia, cetera nullam  
Non obit in specium, te, para ite, nota.  
Ecipe candorem, fis omnibus omnia. Recite:  
Omnia si verè es omnibus, & nebulo es.*

22 Et iterum (e), pinens Crocodilum, cuius gingivas trochilos avis blandè demulcit, & interim hydrus per ipsius fauces ad intima penetrans, viscera morsu dilaniat, ita inquit:

*Dm mulcet trochilos, subit hydrus & ilia vastans,  
Rodit in expleta te, Crocodile, fame.  
Mact adulator? scelerum subit hydrus, & acri  
Dilanians morsu viscera, fert animam.*

23 Florentius Schoonbivius (f) sub pictura ejusdem Crocodili, qui, ut Plinius (g) ait, Nili animal, terra pariter ac flumine infestum, quem dilacerare statuit, insequentem fugit, fugientem sequitur, & ut facilius hominem fallat, eo conpecto, lachrymas solet emittere. Unde

(t) Plutarc. in moral.  
(u) Aristoph. in Com.  
(x) Junius Emb. 22.  
(y) Joachim. Camerar. cent. Emb. 8.  
(z) Plin. Aelian. de var. hist. lib. 1. cap. 9. & de animal. lib. 5. cap. 39. Philo Str. in vita Apollon.  
(a) Zuer. Emblem. 4.  
(b) Reichen. in Emblem. Polit. 15. pag. 33.  
(c) Burgund. in ling. vitis, pag. 45. Emb. 22.  
(d) Idem Emb. 19. pag. 137.  
(e) Idem Emb. 21. pag. 141. ex Gessner.  
(f) Schoonb. Emb. 39.  
(g) Plin. lib. 8. cap. 25.

de in Adagio (b) est, *Crocodili lacryme*; disidendum ab his Aulicis palponibus monet, & vel nihil illis credendum, vel suspectos habendos, nec enim frustra Tragicus (i) exclamavit,

*O vita fallax abdito sensus geris.*

Et Mimografus (k) dixit,

*Malus, ubi se bonum fingit, tunc est pesimus.*

24 Horoscus Covarruvias (l) Mercurium pingit, Argum, licet centoculum, suo modulamine dormire facientem, ut ei posset vaccam sufcari, atque, sub hac fabula adulatores intelligi, qui suis blandimenti Principum oculos, & mentes excæcant:

*Que al mas despierto engaña de ligero,  
El dulce son del falso lisongero.*

Subditque ex Xenophonte (m), Sirenum cantus apud Homerum, Mythologicè de eisdem adulatioibus accipiendo.

25 Ego verò ex multis qua possem, hoc, quod cernis, Emblema selegi, ceteris (judicio meo) ad rem, de qua agimus, congruentius, ex naturali turturum aliquamque avium, & cervorum proprietate deductum, quos quasque, ex Plinio (n), & aliis Auctoriibus notum est, ab auxibus, & venatoribus, fistulis, & aliis instrumentis musicis, ita infatuari, ut volatum, ac cursum obliuiscantur, & faciliter negotio se capi & comprehendendi sinant; prout & illis contingit, qui se blandis adulatorum vocibus, dolosisque concentibus deliniri mulcerique patiuntur. Quod inter sua Hieroglyphica jam pridem Pierius (o) Valerianus inseruit, & ante eum satis insinuavit Dionysius Cato (p), in uno ex suis Distichis dicens:

*Noli homines blando nimium sermone probare,  
Fistula dulce canit, volucrum dum decipit aueps.*

Et ille, qui id ipsum, sub leoninis, quos vocant, versibus ita complexus fuit:

*Non bene creduntur, nimium qui blanda loquuntur,  
Decipiuntur aves, per cantus s.e pè suaves.*

26 Et de Cervis agens, aliud Emblema formavit Jacobus Bruchius (r) cervum depingens, veloci suo cursu uti nitentem, frustra jam tamen, pedibus ac tarde, ac manibus illaqueatis. Carmina, quibus illud donavit, hæc sunt:

*Fide, vide tutò cui possis fidere: s.e pè  
Nomen amicitie magna pericla tulit.  
Insidias fugeret cervus, ni sponte dedisset  
Stringendos, vocis captus amore, pedes.*

27 Pastinacas quoque, Murænas, Paguros, Thrißos, & alios pisces, eodem astu, ac cantu à piscatoribus capi, latè Ælian (t) recenset, à quo habuit Nicolaus Causinus (t) hinc inferens, tales esse, qui se blandis adulatorum vocibus commodant, ridendoque in exitium ruunt, & quod ait Satyricus,

*Non unquam reputant, quanti sibi gaudia constent.*

28 Planè in serpentibus, & aspidibus idem contingit, sed hæc quia prudentiores sunt in sua generatione, ne cantibus & beneficiis hominum illaqueantur, extremo cauda suas aures obturant, & naturali instinctu, suam conservationem edoctæ, se adversus incantatores præmunient, ut Regius Psalmes (u) his verbis ostendit: *Furor illius secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surde, & obturantis aures suas, que non exaudiunt vocem incantantium, & beneficij incantantis sapienter. Quo loci eas surdas appellat, non quod natura sint surdae; sed quod se eo, quo dixi, modo surdas efficiant.*

29 Quem pariter Reges, ceterique Magnates servare debent, vel longè à suis auribus, atque auli omnes assentatorum, palponum, ac parasitorum genus ablegare. Alioquin enim, velint, nolint, horum incantationibus subjacebunt, quas hab humana naturæ fragilitatem cœcumque amorem sui, pauci sunt qui non gratauerint accipiant, illud Senecæ (x) documentum verisimum esse propriis periculis experiantur: *Citò nobis placemus, si invenimus, qui nos bonos viros dicant, qui prudentes, qui sanctos. Non sumus modica laudatione contenti; quidquid in nos adulatio sine pudore*

(b) Erasm. in hoc Adag.

(i) Seneca.

(k) Publ. Syrus. in Mimog.

(l) Horosc. Emblem. 13. lib. 2. fol. 25.

(m) Xenoph. de fact. & diff. 1. 10c.

(n) Plin. lib. 8. cap. 42.

(o) Pier. lib. 53.

(p) Cato in Distic. lib. 1.

(r) Bruch. in symb. 27.

(t) Ælian. lib. 1. de anim. cap. 39. & lib. 6. cap. 31

(z) 32.

(u) Causin. in Polisth. symb. lib. 8. cap. 60. pag. 463

(x) Senec. epist. 60.

concessit, tamquam debitum prendimus, optimos nos esse, & sanctissimos affirmantibus assentiuntur; cum sciamus s.e pè illos mentiri. Adèque indulgemus nobis, ut laudari velimus in id, cui contraria maxime facimus. Et iterum (y): *Habent hoc in se naturale blanditiæ, etiam cum rejiciuntur, placent, s.e pè exclusæ, novissimè recipiuntur.*

20 Quæ loca nescio an videri, sed certe satis premit Divus Hieronymus (z), sive, ut alii putant, Paulinus, in illa epistola, que ad Celantiam inscribitur, inquiens: *Adulatorem quoque assentationes, & nota blandimenta fallacie, velut quasdam pestes animæ fuge. Nihil est, quod tam facile corrumpat mentes hominum; nihil quod tam dulci, & molli vulnere animam feriat. Unde & quidam Sapiens ait, verba adulatorum mollia, ferunt autem interiora ventris, &c. Quæ est tanta levitas animi, quæ tanta vanitas, relicta propria conscientia, alienam opinionem sequi, & quidem fictam, atque simulatam? Rapi vento false laudationis, gaudere ad circumventionem suam, & illusionem pro beneficio accipere. Rursusque alio (a) in loco sic habet: Naturali ducimur malo, adulatoribus nostris liberter favemus, & quamquam nos respondeamus indigos, & calidus rubor ora profundat, tamen ad laudem suam intrinsecus anima letatur.*

31 Atque hoc planè est quod Salomon (b) consulit, inquiens: *Si te laetaverint peccatores, non acquiesces eis; quod secundum Bedam, & alios Expositores, idem est, ac si diceret, non esse acquiescendum Adulatöribus, qui nos ad mala perpetranda suis blandimentis pellicunt, & commissa, favoribus, & laudibus prosecuntur. Quibus præisse videtur Divus Gregorius Magnus (c), eamdem expositionem his verbis, valde ad rem nostram conducedibus, sequens, & ornans: Hinc fit, ut incessanter crescat culpa favoribus nutrita: curari enim vulnus negligitur, quod dignum laudibus videtur, Unde bene per Salomonem dicitur, si te laetaverint peccatores, &c. Peccatores enim laetant, cum vel perpetranda mala blandimentis ingerunt, vel perpetrata favoribus extollunt.*

32 In eamdem sententiam, postquam plura contra adulacionem in suo elegantissimo Centone Politicati (d) Joannes Sarisberiensis Carnotensis Episcopis cumulavit, sic loquitur: *Populum, qui sibi credat habent assentatores, qui de se magis alienæ lingue acquiescat, quæ propriæ iudicio conscientie, dum se ipsum quilibet extra se querit, & nosse designatur, quæ si sibi curta supplex. Nil enim quod crederet de se non possit cum laudatur, non modo Diis æqua potestas, sed quæcumque anima de fermento superbie intumescit.*

33 Suum quoque calculum suprà dictis adjicit Cassiodorus (e), dum inquit: *Adulatio bland omnibus aplaudit, omnibus salve dicit. Prodigos vocat liberales; avaros, parcus, & sapientes: lascivos, curiales; garrulos, affabiles; obstinatos, constantes; pigros, maturos, & graves. Hæc sagitta leviter volat, & citè infigitur. Et Petrus Blesensis (f) sic inquiens: Illud etiam apud Latinos plurimum promovet conditionis adulatore sortem, quod etsi non omnes laudem appetant, nemo tamen renuit, aut contemnit oblatam.*

34 Neque omitti potest Petrus Ravenas (g), qui Palatia Principum, & adulacionis damna plenius adhuc describens: hæc in verba prorupit: *Eliminat à Palatiis adulatio veritatem. Illi soli in Magistratum gratiam admittuntur, qui palpant blanditiis, & aures famæ bibulas calyx Babylonis inebriant. Benè cum Magnatibus ageretur, si scirent inter adulacionem, & laudem distinguere; sed cœca laudis ambitio, plus credens aliis de se ipso, quæ sibi, utrumque decipit indistincte; Amplians eos beneficiis torque debuerant, & à presumptione adulandi supplicis terrere. Mordacissimus detractor in absentia nihil principaliter proponit, nisi quod placere existimat. Verba oris ejus iniquitas & dolus: cum enim sal correctionis in omni sacrificio acceptetur à Domino, mel in omni sacrificio reprobatur.*

35 Et relictis innumeris aliis, qua de cognoscenda, cavenda, & detestanda Adulatörum aliorumque Aulicorum conditione, & quæ sit, ac semper frequens, damnosa & antiqua hæc in omnibus Palatii Principum pestis, ultra Politicatum (b) omnino legendum, novissimè, & latissimè Canonherius (i), Lipsius (k), Filescus (l), Schildius (m), Buxhornius, (n), & alii (o) passim adducunt, audiant illi, vice ac voce omnium precor, Marcus Praetorius (p), his eodem carminibus admonentem:

*Sit procil à nostri generosa Principis aula  
Mollis adulator, veri simulator, & arte*

Pp

Psa

(y) Idem lib. 4. natur. quest.

(b) Policrat. de Curnius lib. 3. per totum.

(i) Canthon. in Aphor. polit. ex pag. 853. ad 874.

(i) Canthon. in Aphor. polit.

(a) Idem Hieron. in epist. 22. ad Eustoch.

(k) Lipsius in monit. polit.

(b) Salom. Proverb. 1. 10.

(l) Filescus. 2. select. in Eurip. sæc. cap. 6. & seqq.

(c) Div. Gregor. lib. 4. Moral. cap. 25.

(m) Schild. ad Tacit. exercit. 5.

(d) Policrat. lib. 3. cap. 4.

(n) Buxhorn. Emblem. 4.

(e) David Psalm. 57. 5. 6.

(o) Camerar. 1. tom. subtit. cap. 87.

(f) Blesens. epist. 77.

(p) M. Praetorius de Princip. prudent. lib. 2.

Palponum instruclus, fictos qui sumere vultas  
Albaque de nigris, deque albis nigra vicissim  
Verborum phaleris, & fando reddere norit.  
Hoc hominum exitiale genus, quam sepè ruinas  
Regibus, & Regnis peperit clademque supremam.  
Has tibi technas, latebroi has pectoris artes  
Indagans noster Princeps, fraudisque dolique  
Jan gnarus, faciles non det gnathonibus aures.  
Nec temerè hunc credit, sibi qui blanditur, amicum,  
Qui semel astuta te voce fefellerit, idem  
Fallendi fuerit quoties occasio fallat.

36 Quod si forte proletarios monitores deditigunt, & clasicos, aut Basilicos ambiant, auidant Dionem Chrysostomum (q), qui adulatores ejusmodi per similes esse contendit iis, qui probam monetam adulterare, vel falsum testimonium dicere solent, quos tot leges severissime damnant.

37 Audiant Alexandrum Magnum, qui cum ab assentatoribus seductus, se Deum existimat, tandem gravi vulnere sauciis, eorum imposturam agnoscent, in hac verba, referente Curatio (r), prorupit: Se quidem Jovis filium dici, sed corporis aegri vitia sentire. Sive ut Plutarchus (s) ait, versum Homeri (t) usurpans, cuius librum sibi familiarissimum habuit:

Hic sanguis non diis, ut solitus manare beatis.

38 Audiant Julianum Imperatorem, aulae peritissimum, dicentem (u): Eos, qui simulatione aulica laudant, majore odio prosequi, quam inimicissimo, Principisque naturam optimam à proximis depravari. Siquidem teste Seneca (x) malignus comes, quamvis cordato, & simplici, rubiginem suam affricat.

39 Audiant Flavium Vopiscum (y) querentem, quæ res quidem malos Principes faciat? sibi respondentem: Jam primum nimia licentia, deinde rerum copia; Amici præterea improbi, satellites detestandi, Eunuchi avarissimi, Aulici, vel stulti, vel detestabiles, & (quod negari non potest) rerum publicarum ignorantia.

40 Audiant denique summa, quibus scribimus, Culmina, Urbanum VIII. Pont. Max. qui pro meritis ad summum dignitatum culmen ascendit, & hæc ferè, quæ diximus, omnia, hoc elegan-  
tissimo carmine, veluti in compendium redegit (z):

Cui sensa mentis prouidus abdita  
Rex credit? aut quos caverit? omnium,  
Sincera, seu fallax, edem  
Obsequio tegitur voluntas.  
Fugit Potentum limina veritas  
Quamquam salutis nuntia: nauseam  
Invisa prioritat, vel iram,  
Sepè magis iuvat hostis hostem.  
Iulus sagita Rex Macedo, videt  
Non esse prolem se Jovis. Irita  
Xerxes tumentem spe, trecentis  
Thermopyla cohident Sarissis.  
Docentque frictum clade, quid Aulic  
Sint verba plausus. Ut nocet, ut placet  
Stillans Adulatris latenti  
Lingua favos madidos veneno.  
Hee in theatri pulvere barbarum  
Infectat atro sanguine Commodum,  
Probrisque fædavit Neronem,  
Perdidit illecebris utrumque.  
Artes nocendi mille tegit dolis  
Imbuta. Quis tam lynceus aspicit  
Quid vitet? Intentus canentis  
Mercurii numeris sopore.

(q) Dio Chrysost. orat. 3. de Regno.

(r) Curt. lib. 8. cap. 20. optime Senec. lib. 8. epist. 3.

(s) Plutarch. in vita Alexand.

(t) Homer. Iliad. 5.

(u) Julian. Imper. in Misopog.

(x) Senec. epist. 7.

(y) Vopisc. in Aurelian.

(z) Maffius Barbar. in suis carminis

Centena claudent lumina, sensibus  
Abreptus, aves dum vacas melos  
Demulct, exemplum peremptus  
Exiguus grave prebet Argus.

43 Quæ cum ita se habeant, par est, ut Principes, tot testimonis, & exemplis moniti, atque muniti, tandem agnoscent, bonum quidem esse laudum, sed præstantius, esse laudabiles; Pessimumque (ut Tacitus (a) inquit) inimicorum genus, adulatoriæ laudantes; quorum blandam orationem, non ex animo proficiscentem, sed ad gratiam compositam, Diogenes apud Laëtium (b), melleum laqueum vocare solebat. Neque eo, ut nostri Emblematis aves, & cervi, irritantur, sed irritantur potius, & axasperantur, ubi dolosum senserint melos, ut leopardus facere solet, de quo quidam post Gesnerum (c) novissime dixit:

Efferat hanc crebro vox quoque blanda feram.

Et, ut Æneas Sylvius (d) Sigismundum Imperatorem fecisse commemorat, dum uni ex suis Proceribus, se supra modum laudanti, & Diis similem esse dicenti, alapam inflxit; quarentique illi: Cur me odis? Cur tu me mordes? Imperator respondit.

44 A quo non absimilis, invictus, & in omnibus Maximus, noster Carolus V. cum per Lutetiam transiens, honorificissimum exceptus, & in publica concione valde laudatus esset, oratoris benevolentiam repedit, laudes verò sibi tributas, non tamquam veras, sed tamquam comonitorias, qualis ipse esse deberet, prudenter & humanè se suscipere dixit (f).

45 Ac planè quia pauci ex Regibus eo sunt ingenio, ut vera audire soleant, vel cupiant, veluti in proverbium illud Carneadis (f) abiit: Nihil ab eis rectè disci, præter artem equitandiz; propterea quod solus equus, quoniam Principis, au plebei discrimen non senti, adulari nescit, & à se omnem sessorem excutit, qui benè ejus dorsa insidere non noverit. Quod haud dubie respectit Alciatus (g), dum nobili suo Emblemate Adulari nescientes, per ferocem equum, & ei insidentem hominem signat, his subiectis carminibus :

Scire cupis dominos toties cur Thessalis ora  
Mutet, & ut varius querat habere Duces?  
Nescit adulari, cuiquamrè obtrudere palpum:  
Regia quem morem Principis omnis habet.  
Sed veluti ingonus sonipes, dorso excutit omnem,  
Qui moderari ipsum nesciat Hippocomon.  
Nec sœvire tanen Domino fas: ultio sola est,  
Dura ferum ut jubeat ferre lupata magis.

46 Et ob eamdem etiam causam Demetrius Phalereus apud Stobæum (b), Ptolomeum Regem hortatur, ut libros de Regno scriptos, emerat, ac legeret; & Rex Aragonius Alfonsus apud Panormitanum (i), optimos Consiliarios, & quibus magis delectarecur, Mortuos esse dicebat, de eisdem nimis libris intelligens, quia adulari nesciunt, & sine metu, sine gratia, sine fuso, omnia, quæ ab illis audire, vel discere volumus, fideliter & candidè nobis aperunt, & ut benè in quadam epistola addit Erasmus (k) Arcana ipsi sua celant numquam, commissa summa cum fide continent, nihil foras, quæ liberius inter familiares solent, renuntiant: vocati præstò sunt, invocati non ingerunt se se; jussi loquuntur, injussi taent: loquuntur quæ voles, quantum voles, quod voles: nihil assentantur, fingunt nihil, nihil dissimulant: vitia tua tibi liberè indicant, nemini obtrahant, aut jucunda dicunt, aut salutaria, secundis in rebus moderantur, consolantur in afflictis, cum fortuna minimè variantur: in omnia pericula te sequuntur: ad extremos usque rogos perdurat, nihil ipsis inter illos candidius.

47 Verus quoque liber erit, se ipsum inspicere, & illud Catunculi (l) meminisse,

Cum quis te laudat, judex tuus esse memento,  
Plus alius de te, quam tu tibi credere noli.

Nam, ut præclarè Cicero (m) docet: Assentatio quamvis pernitiosa sit, nocere tamen nemini potest, nisi ei, qui eam recipit, eaque delectatur. Ita fit, ut is assentatoribus patefaciat aures suas maximè, qui ipse sibi assentatur, & se maximè ipse delectat.

blem. 33.

(a) Tacit. in Agricol.

(b) Laert. lib. 6.

(c) Gesner. de quadr. & Burgund. in vitis ling. Em-

blem. 33. pag. 73.

(d) Æneas Sylv. in notis ad Panorm. lib. 1.

(e) Cithraeus & ali in vita ejusd. Carol.

(f) Plutarc. de dignitate adul. Minoes ad Alciat. Em-

(g) Alciat. Emblem. 35.

(h) Stob. term. 46.

(i) Panorm. lib. 3.

(k) Erasm. cent. 7. epist. 12.

(l) Cato lib. 1.

(m) Cicer. in Lælio, sive de amicit.

48 Ceterum quoniam Regia domus, non minus Delatoribus, quam Adulatoribus, frequentissime patent, & aequè, aut sapè gravius, illi, quam hi, Regibus & Reipublica damnos esse solent, pariter quoque curare debent, ut hæc hominum vitia procul à suis auribus, & aulis eliminant, qui nulla necessitudine cogente, suis commodis, vel odii, aut inyidiis, deservientes, ex optimorum calamitate sui incrementa venantur, & falsa pro veris facundè, & artificiose suggestentes, & suidentes, tot excellentes, & divina virtute viros, invidit Principum, quasi victimas, objicerunt, ut multis alius omisssis, in Bætio, & Symmacho ejus scero, sub Theodoro Gothorum Rege contigisse ex Procopio (n), & aliis, latè Camerarius (o) recensent. Addens qualiter Symmachi spectrū, eidem Theodoro apparuit, ejusque minantibus oculis, & monstrosa visione territus, succubuerit.

49 Horum Delatorum sub Tiberio, Domitiano, & aliis Romanis Imperatoribus, dolos, artes, imposturas, & damnæ hinc passim exorta, graviter in suis Annalibus Tacitus (p) refert & dolet: *Genus hominum publico exitio repertum, & penitus quidem numquam satis coercitum, quodam in loco eos vocans: & in alio, Exitabile, & vel ad primores Senatus; cum communis bonorum omnium confusione, & intimidatio protensa.* Et iterum in vita Agricola (q), tradens quid sub anterioribus Principibus per has inquisitiones, & loquendi, & audiendi commercium admitemt erat.

50 Et sanè actum esset ob hanc lucem de magnitudine Romana, nisi Trajanus, laudissimus Princeps, ejus damna præsentiens, hoc intestinum malum excinderet, exemplique suo ceteris, qui laudabiles esse cupiunt, exemplum relinquunt, delatores veluti piacularis publicæ solicitudinis victimas, in bonorum omnium exultationem, suprà sanguinem noxiiorum, ad lenta supplicia, gravioresque poenas duci debere. Quod factum referens & extollens Plinius Junior, (r) sic inquit: *Congesti sunt delatores in navigia raptim conquisita, ac tempore statibus dediti, abi- rent, fugerentque vastatas delationibus terras, ac si quem flutus, & procella scopulis reservassent, hic munda saxa, & in hospitale litus excoleret, ageret duram & ansiam vitam, relictaque post ter- gum totius humani generis securitate, mæreret.*

51 Trajanum in eodem suppicio Titus præivit, ut Suetonius (s) in ejus vita commorat, & ad hunc, vel ad illum respicit Martialis in suo Amphitheatro dum inquit (t):

Turba gravis paci, placideque inimica quieti,  
Que semper miseris solicitatbat opes;  
Trducta est Getulas (aliī legunt Gyaris) nec caput arena nocentes,  
Et delator habet, quod dabat exilium:  
Exulat Asonia profugus delator ab urbe,  
Impensis utinam Principis annumeret.

52 Verum quoniam de his Delatoribus eorumque apud varios Principes præmiis, vel pœnis alii (u) plura dixerunt, hæc tergisse contenti, ad alia transitum facinus, interim tamen duo alia Batili (x) Emblemata, Adulatores pingentia, ac pungentia, & post hæc scripta reperta, super addentes. Quorum primum ex lupi scalpentis assellum, quem devorare parat, effigie formavit. Alterum vero ad nostrum Cervum alludens, & hoc Disticho claudens:

Talis blanda jubant quem, & dulcia verba morantur  
Assentatoris captus ab arte perie.



EM-

(n) Procop. in Gothic. lib. 1. fol. 167.  
(o) Camerar. 3. successiv. cap. 56.  
(p) Tacit. 4. & 6. Annal. & alibi parsim.  
(q) Idem in Agricol. in Praefat.  
(r) Plin. Jun. in Paneg.  
(s) Sueton. in Tito, cap. 8.

(t) Martial. in Amph. epigr. 4.  
(u) Alex. Tiriac. Menoch. Dempster. Oswald. Cojac. Petr. Gregor. & alii apud Anajam in Rubr. C. de delat. lib. 10.  
(x) Batil. Emblem. 117. & 118.

## NOVUM OMNE CAVE.



Non nisi pendente laqueo de gutture profert  
Locrensi populo, qui nova jura dabant.  
Funis vitam adimit, Patribus nisi dicta placerent,  
Præmia sed pariunt, dicta probata, viro.  
O si funis adest, si nex, si pœna fuisset,  
Quam minor arbitris sedula turba novis.

## COMMENTARIUS.

**S**uspects quoque, non minus quam Adulatores, vel Delatores, cuiuslibet sortis, ac conditionis homines habere Principes debent, qui facile sibi constituta Majorum, quidpiamvè aliud, ad communem Reipublica statum spectans, vel novis oneribus populum gravans, mutandum, innovandum, sive introducendum, suadent. Nam & hi solent sapè sub specie recti decipere, gratiora, quam veriora suggestere, & sub publica utilitas pretextu, privatis suis commodis inhiare, Horatianumque illud (a), re ipsa, verissimum reddere:

Postquam omnis res sua Janum  
Ad medium fracta est, aliena negotia curant,  
Excussi propriis.

Vel Plautini Parasiti (b):

Sed curiosi sunt hic quāplures mali,  
Alienas res, qui curant studio maximo;  
Quibus ipsis nulla res est, quam procurant sua,  
Et curiosus nemo est, qui sit malevolus.

2 Hos vulgo Arbitristas, vocare solemus, quorum naturam, ingenium, & imposturas, ultra alios paucis noster Joan. Marquez (c) satis eleganter perstringit, inquiens à Palatis eliminari debere, quia sapè solent vana, injusta, indecentia, vel effectu praxique impossibilia, ac semper perniciosa, sub exiguo præmio proponere; illisque respondendum esse, quod in simili, alii, qui magnos thesauros, parva accepta mercede, se detecturos pollicentur, Ennius (d) apud Ciceronem scripsit,

Magnas dritias pronuntiunt, & dragma perunt,  
Ex iis divitiis sibi deducant dragma, reddant cetera.

(a) Horat. lib. 2. satyr. 3.  
(b) Plaut. in Stich. Act. 2. scen. 1.

(c) Marq. in gubern. Christi lib. 1. capi 16. pag. 95.  
(d) Ennius apud Cicer. lib. 1. de divin. in fine.